ILLUSTRISSIMO,

AC REVERENDISSIMO D.

D. FRANCISCO FROSINI

PATRITIO PISTORIENSI, COMITI S. R. I.

ARCHIEPISCOPO PISARUM

Corſicæ, ac Sardiniæ Inſularum Primati; ac in eis Legato Nato, Sanctiſſimi D. N. Papæ Clementis XI. Prælato Domeſtico, & Pontificii Solii Epiſcopo Aſſiſtenti

THESES EX UTROQUE JURE DEPROMPTAS


In Almo Piſarum Athenæo publicè propugandas

D. D. D.

CÆSAR FERDINANDUS DEGUIGUES LIBURNENSIS

Inexpertorum Academiæ a Secretis, & Academicus Oppreſſus

Nec non publicus Juris Pontificii Lector Extraordinarius.



PISIS, MDCCXIX.

Ex Typographia Franciſci Bindi Impreſſoris Archiepiſcopalis.

De Superiorum Licentia.

Digitized by Google

Digitized by Google

ILLUSTRISSIME
AC REVERENDISSIME PRÆSUL.

ANnus agitur jam quintus, Præſul Illuſtriſſime, ac Reverendiſſime, cum mihi ſub auſpiciis ampliſſimi Nominis Tui de Rebus Philoſophicis diſputandi licentiam permiſiſti. Permiſiſti autem, non tantum eâ mente, ut officia ſumma, & obſervantiam erga Te meam a Te nequaquam excludi ſignificares, ſed ita etiam ut firmiſſimum Adoleſcentiæ meæ præſidium a præclariſſimâ tutelâ Tuâ comparatum velles. Itaque me, & beneficiis maximis, & benignitate ſingulari complexus es; & cunctantem, & diffidentem ad navandam bonis Artibus, ac præſertim legibus operam ita verbis amantiſſimis excitaſti, ut quamquam ingenio utar ſatis infirmo, tamen nihil deinceps a me cogitandum prius, nihil curandum ſtudioſius arbitrarer, quam quemadmodum Tibi diligentiſſimè obediens, & dicto audiens eſſe cognoſcerer. Neque verò ſatis eſſe fa-

Digitized by Google

ſtum huic neceſſitati, receptoque noſtro arbitrabar, ſi cohortatione Tua concitatus ad artium præclararum ſtudia tantummodo me contuliſſem, non rationem etiam aliquam laboris, & induſtriæ meæ Tibi cum primum poſſem, reddidiſſem. Quare quum de Sacro Civilique Jure, pro injuncto mihi munere nunc publicè diſputandum ſit, occaſionem oblatam eſſe maximè lætor, Præſul Illuſtriſſime, ac Reverendiſſime, quæ non dubiam ſtudiorum meorum, præterea voluntatis, & obſequii, venerationis denique erga Te meæ ſignificationem conficiat. Itaque Tibi propugnandas a me Theſes dedico, Te Patronum, Te Cuſtodem, Te Defenſorem Literarii certaminis appello, & imploro; cujus periculum non niſi ſub tui Nominis auſpiciis adire me debuiſſe cogitabit, quicumque, non modo magnitudinem Tuam, tenuitatem vero meam reputabit, ſed rationem etiam omnem conſilii, officiique mei perſpectam habuerit, & exploratam. Quid quòd a genere ipſo Theſium mearum ea mihi imponebatur neceſſitas, ut Viro jam cæterarum facultatum notitiâ tum vero Legum, & Canonum Scientiâ ornatiſſimo nuncuparentur. Quis autem eum Te eſſe neſcit, qui ob Pietatem in Deum, ac Doctrinam eximiam, & ſingularem Piſtorii primum ac Prati Epiſcopus, deinde Piſarum Archiepiſcopus renunciatus, omnia conſequutus es Præſidis Optimi munia, Teque parem tantæ dignitati, rebus conſilio, ac Sapientiâ incredibili adminiſtrandis, cumulatiſſimè præſtitiſti? Neque vero afferenda ſunt exempla ejus Vigilantiæ, quæ Prudentiam, Doctrinam, Virtutem denique præferat, quarum ſtudia nunquam vel in maximis occupationibus intermittis. Hæc enim cum compertiſſima omnibus ſunt; tum verô nec hujus loci, nec hujus ingenii mei eſt laudes illas exornare dicendo, quas immenſæ Orationis eſſet proſequi numeratio. Quæ cum ita ſint non dubito Præſul Illuſtriſſime, ac Reverendiſſime, quin meos hos Labores hilari, & ſerenâ fronte ſis excepturus. Etſi enim exiguum eſt & leve munus, tamen & Tibi mirificè congruit, & ab animo Tibi parendi, ac placendi cupido proficiſcitur. Ad extremum, unum, illud rogo, & obteſtor, ut ſi juſto fidentiùs tantum mihi adciſcere Mecœnatem videar, id non meæ Naturæ, ſed Tuæ potiſſimum Benignitati, quæ faciliorem ad Te mihi aditum fecit, tribuendum putes.

AD

Digitized by Google

AD RUBRICAM DECRETALIUM

De Conſtitutionibus.

I.

COnſtitutio eſt Jus in commune bonum ab eo qui curam Reipublicæ gerit promulgatum.

II.

Hinc tum communis Opinio, tum Resjudicata vigorem legis non obtinent.

III.

Nam Legem condere neque Juriſdictionis eſt, neque meri Imperii, ſed ſolum Imperii quod dicitur Majeſtatis; quare cum ſit de reſervatis Principi, ſolus Princeps ſive Spiritualis, ſive Temporalis Legis ferendæ poteſtatem habet:

IV.

Etſi in iis, quæ reſpiciunt adminiſtrationem, non vero cauſarum deciſionem etiam ſubiecta Communitas legem ferre poſſit.

V.

Lex ita eſt interpretanda ut futuris tantum negotiis proſpiciat.

VI.

Quod ſi Legi pœna adiiciatur, ad eamdem pœnam incurrendam neceſſaria eſt Judicis declaratio, ſi pœna tendat ad auferendam acquiſitum rei dominium, ſecus vero ſi tendat ad impediendam primam rei acquiſitionem,

AD

Digitized by Google

AD RUBRICAM DECRETALIUM

De electione, & electi poteſtate.

I.

QUi in Epiſcopum electus eſt non poteſt ea exercere quæ ſunt Juriſdictionis, niſi poſt impetratam a Superiore confirmationem, ea vero quæ ſunt Ordinis non niſi poſt ſui conſecrationem.

II.

Quam conſecrationem ad Sacramentum Ordinis non ut ſimplicem extenſionem characteris Sacerdotalis, ſed ut Ordinem a Præsbiteratu diſtinctum pertinere defendimus.

III.

Hinc certum eſt Ordinis poteſtatem in Epiſcopos immediate a Chriſto Domino derivari: Poteſtatem vero Juriſdictionis ſolum mediatè, ac dependenter a Summo Pontifice. Nam quoad Ordinem, & quoad Inſtitutionem Epiſcopatus eſt de Jure Divino; ſecus vero quoad modum Juriſdictionis, qui a Summo Pontifice dependet.

IV.

Et quia hanc Juriſdictionis poteſtatem exercent Epiſcopi in cauſis contentioſæ Juriſdictionis, quotieſcumque apud eos vel de ſpiritualibus rebus, vel contra Eccleſiaſticas Perſonas lis intentatur; hinc et mero, & mixto Imperio præditi ſunt.

V.

Exercent etiam in cauſis voluntariæ Juriſdictionis, ſi agatur de Beneficiis conferendis, diſpenſationibus concedendis, aliiſque rebus id genus.

VI.

Quinimmo accepto in latiori quadam ſignificatione hoc Juriſdictionis nomine, ex eà quoque, & Legum, & Cenſurarum ferendarum poteſtatem Epiſcopis ineſſe dicimus.

AD

Digitized by Google

AD RUBRICAM DIGESTORUM

De officio Ejus, cui mandata eſt Juriſdictio.

I.

JUriſdictionem cum Arnoldo Vinnio definimus = Poteſtatem juris dicundi publicè datam, aut permiſſam.

II.

In eo autem jus dicere non eſt judicare, quòd Judicis Officium conſiſtit ſolummodo in cognoſcenda cauſa, & ſententia ferenda: Jus autem dicens poteſt ex officio etiam Bonorum poſſeſſionem dare, mittere in poſſeſſionem Creditores, & ea omnia facere quæ mixti Imperii ſunt, & quæ pertinent ad tuendam propriam Juriſdictionem, & Sententiæ executionem.

III.

Nam defendimus Juriſdictionem a mixto Imperio ſeparari non poſſe.

IV.

Cum Juriſdictio alia ſit ordinaria ſeu propria, & eſt illa; quam habent Magiſtratus, qui ideo conſtituti fuerunt ut populo jus dicerent, alia mandata ſeu delegata, & eſt ea quam quis alteri exercendam committit ſeu delegat, ut partibus ſuis fungatur; præ ceteris duplex aſſignatur differentia inter Delegatum Judicem, & Ordinarium,

V.

Prima ut Ordinarius alteri mandare poſſit juriſdictionem, non vero Delegatus.

VI.

Secunda ut Ordinarius eſſe poſſit etiam Legum imperitus, Delegatus vero non item.

DIS-

Digitized by Google

DISPUTABUNTUR PUBLICE

In Schola Magna Piſani Lycæi.

Anno Domini 1719. Menſe Maii Die Hora

Annuente Illuſtriſſimo, ac Clariſſimo Domino, D. Nicolao Antinorio Patritio, & Senatore Florentino, Illuſtriſſimæ, ac Sacræ Religionis Divi Stephani Summo Præſide, & Priore meritiſſimo, S. R. C. Coſmi Tertii Magni Etruriæ Ducis intimo Conſiliario, Generali Cauſarum Auditore, & Almæ Univerſitatis Piſanæ Rectore Vigilantiſſimo.

DOMINI ARGUENTES ERUNT.

D. Jacobus Mercati olim Neroni Nobilis Florentinus Eques Divi Stephani, Academicus Umbroſus, & Inexpertus.

D. Abbas Antonius Dominicus Brignole Coſmopolitanus Academicus Inexpertus, & Oppreſſus.

D. Abbas Joannes Baptiſta Gamerra Liburnenſis Academicus Inexpertus.

CÆTERIQUE VOLENTES.

99 933863

Digitized by Google